

vero causa criminalis fuerit, debet praeterea protestari ad formam dicti cap. PRAELATIS.

Antequam caetera privilegia Clericorum propria recenseamus, operae praetium est observare Clericos conjugatos, licet bigami non sint, et habitum clericalem et tonsuram deferant, praeter privilegia Canonis et Fori nullo alio privilegio et praerogativa clericali decorari. Quod quidem post Bonifacii IX Constitutionem, seu litteralem textum in cap. unic. de Clericis conjugatis in 6<sup>o</sup>, perspicuum etiam est ex Concilio Tridentino sess. 23 cap. 3 de Reform., et Doctores plerique omnes tradunt cum Fagnano in cap. JOANNES eod. tit. : « Neque, inquit idem Fagnanus loco citato, ad hoc requiritur monitio, sed sufficit solus contractus matrimonii; nam ex contrario actu haec privilegia amittuntur. »

Reliqua vero privilegia, saltem praecipua, haec sunt  
1. Exemptio ab omnibus officiis et oneribus, quae cum status clericalis dignitate et functionibus componi non possunt. Hoc privilegium divina ordinatione in Clericos promanat, illudque postulat maxima dignitas status Clericalis, et conservatio tum clericalis auctoritatis, tum libertatis in sacris ministeriis obeundis. Quare exempti sunt a militia, ab excubiis, a vigiliis, ab officiis publicis curialibus, et municipalibus, a tutelis, curationibus atque muneribus sordidis et servilibus. 2. Privilegium competentiae seu capitis ODOARDUS de solut., vi cujus Clerici in jus vocati a Creditoribus, in id solum quod est supra decentem eorum tuitionem condemnari possint, ne cogantur victum quaeritare, et egere cum dedecore et contemptu ordinis clericalis. Hoc vero privilegium solis Clericis Beneficiatis, atque iis qui Sacris Ordinibus initiati sunt, concedi consuevit.

Denique Clerici filii familias plenum consequuntur dominium bonorum adventitiorum.

Et hic explicit Liber primus DE PERSONIS.

## LIBER SECUNDUS.

### DE REBUS.

A personis, de quibus superiori Libro dictum est, ad Res, quae sunt alterum Juris canonici objectum, progredimur. Hujusmodi rerum tria sunt genera. Primum est rerum spiritualium, quae nimirum ad animarum salutem proxime referuntur, videlicet Sacramenta, quae caeteris rebus digniora sunt. Huc etiam spectant res spirituales incorporeae, uti gratia sanctificans, virtutes et dona Spiritus Sancti, de quibus disserere proprium est solius Theologiae. Secundum genus est rerum sacrarum, quae sacris usibus, Deique cultui addictae sunt, et in *sacras*, *sanctas* et *religiosas* dividuntur: *sacrae* vocantur quae solemniter per Episcopum consecrantur, uti calices, altaria, vasa Sacrificii, ipsaemet sacrae Aedes; *sanctae*, quae sanctione legis, vel adhibita benedictione de profano commercio eximuntur, uti Ecclesiae, imagines, paramenta, utensilia, et caetera ejusdem generis; et demum *religiosae*, quae nimirum Religionis usui dicatae sunt, uti Coemeteria, Monasteria, Seminaria Clericorum, et Hospitalia. Tertium denique genus est rerum temporalium, quae alendis Clericis et pauperibus, et divino cultui peragendo destinatae sunt, ut Decimae, oblationes et redditus Beneficiorum.

De hoc triplici rerum genere disputaturi exordium sumimus a posteriori, hoc est a rebus Ecclesiae temporalibus, quae in re multa de Beneficiis Ecclesiasticis explanabimus. Dicemus

etiam de administratione rerum Ecclesiae temporalium, de alienationibus, aliisque contractibus, quorum notitia Candidatis Ecclesiastici Juris perquam necessaria est, et instituti nostri omnino propria.

Quibus absolutis ad secundum Rerum genus, hoc est ad res sacras, sanctas, et religiosas progrediemur.

Sed quod attinet ad Sacramenta, quae tertium et praecipuum genus rerum conficiunt, admodum pauca explicare debemus, namque de Ordine tantum et Matrimonio, in iis praesertim quae in Curiis et foro Ecclesiastico a Canonistis pertractari solent, agendum nobis est; de reliquis Sacramentis disserendi provinciam Theologis relinquimus. Quum vero de Ordine superiori libro satis dictum sit, reliquum est ut hoc libro de Matrimonio uberrime, prout gravitas rei postulat, accurateque disputemus. Sit itaque.

### CAPUT I.

#### DE REBUS ECCLESIAE TEMPORALIBUS.

##### § 72.

##### DE PRIMITIIS.

Temporale patrimonium Ecclesiae tribus bonorum generibus conflatum est, videlicet Primitiis et Oblationibus, tum Decimis et fundis, aliisque rebus frugiferis et utilibus, et praesertim Beneficiis Ecclesiasticis. A Primitiis ordiamur. Igitur Primitiae sunt primi fructus agrorum et pecudum, quae in veteri lege ex divino praecepto debebantur. Apud priscos Christianos usus primitiarum receptus est, diuque perduravit; deinde vero contrariis moribus exolevit. Verumtamen quod ad Primitias attinet, tribus animadversionibus rem totam complecti pos-

sumus. Prima est, initio Ecclesiae nullam certam quidem exploratamque legem exstitisse, qua Primitias pendere oporteret. Canones Apostolorum, et Nicaeni Arabici eam legem meminisse videntur, sed ipsorum auctoritas aut nulla est, aut dubia. Secunda est, ex moribus diuturnis, ex doctrina Patrum, qui primitias non secus ac Decimas deberi tradiderunt, ac demum ex Canonum praescripto factum esse, ut primitiae propriis Ecclesiis praestandae essent. Tertia est, sequutis temporibus, et praesertim aetate nostra in desuetudinem penitus abiisse. Quia vero Primitiae non modo ad gratias Deo agendas tanquam bonorum omnium largitori, verum etiam ad Ministrorum sustentationem offerebantur, inde colligitur in praesenti quoque disciplina Primitias jure exigi, si aut consuetudo loci obtineat, aut Ministri altaris indigeant; quod Jacobus Delalande in Rubrica ad tit. Decretal. de Decimis ita explicat: « Quod specialis sit ratio Primitias praestandi, nimirum in recognitionem divinae liberalitatis ob fructus concessos, quae cum temporis diuturnitate concurrat, ita Primitiae duobus casibus obligationis nexu continentur, si populus usu longaevo eas rependere solitus sit, vel si Sacerdotes indigeant, quibus intervenientibus sunt in mandato.

##### § 73.

##### DE OBLATIONIBUS.

Oblationis nomine veniunt rerum omnium mobilium, sive immobilium largitiones sponte factae. Nos autem eam vocem accipimus quatenus res mobiles significant. Olim tria oblationum genera fuerunt. Primum genus erat earum rerum quae ad altare ferebantur tempore sacrificii et in primis panis et vinum offerebantur, ex quibus Sacra Eucharistia conficeretur; tum etiam oleum et incensum, et novae spicae, aliaque munera, quae aut altari, aut Clericis alendis inservirent. Aliqui putant pecunias etiam inter Missarum solemnias oblatas fuisse, unde

Missarum honoraria originem duxerunt. Qua de re confer Benedictum XIV de Synod. Dioecesis. lib. 5 cap. 8. Sed offerre ad altare vetabantur publice poenitentes ante reconciliationem, in haeresim lapsi, excommunicati, dissidentes et qui pauperes opprimebant, quod communione indigni viderentur. Alterum oblationum genus est earum rerum, quae extra sacrificium ad domum Episcopi deferebantur, vel in gazophylacium, seu exedram recipiendis et servandis oblationibus in Ecclesia constitutam inferebantur. Harum administratio et distributio ad Episcopum pertinebat, qui opera Archidiaconi aut deputati Oeconomus utebatur. Ex his autem oblationibus comparanda erant omnia ad cultum divinum necessaria, tum ad subsidia conferenda Clericis vel quotidie, vel singulis hebdomadis aut mensibus habita ratione gradus et ordinis, tum etiam ad pauperes alendos. His oblationibus ea munera successerunt, quae a fidelibus Deo et Ecclesiis fiunt, et praesertim arculis Ecclesiarum ad largitiones populi colligendas expositis immittuntur. Tertium denique genus earum rerum est, quas Christiani in exsequiis mortuorum, in suscipiendis Sacramentis, in aliisque sacris officiis largiebantur, unde nata jura stolae, quae praecipue Parochis post sacra administrata tribuuntur.

Nunc igitur loco veterum oblationum habentur: 1. Honoraria Missarum, quae dantur Sacerdoti rem divinam facienti, ut ex mente dantis sacrificium offerat. Qua super re Concilium Tridentinum sess. 22 de Observ. et evitand. in celebratione Missae sancivit, ut Episcopi «cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, et quidquid pro Missis novis celebrandis datur, nec non importunas atque illiberales eleemosynarum exactio- nes potius quam postulationes, aliaque hujusmodi, quae a simoniaca labe, vel certe a turpi quaestu non longe absunt, omnino prohibeant.» Confer etiam Benedictum XIV in Constit. 22 tom. I ejus Bullarii. 2. Pecuniae, aliaque munera quae Ecclesiis, Capellis, aut Altaribus, ubi imagines miraculorum fama celebres venerantur, vel Sanctorum reliquiae quiescunt, a fide-

libus offeruntur. Hujus generis oblationes ubicumque factae sint intra limites alicujus Parochiae, ad ipsam Parochialem Ecclesiam pertinent, quod factae intelligantur ob curam spiritualem quae ad Parochos incumbit. Ita S<sup>a</sup> Congregatio Concilii, in Fulginat. oblat. die 6 Aprilis 1647, declaravit: «Rectori Parochialis Ecclesiae S. Nicolai Belfioris Dioecesis. Fulginaten. deberi oblationes, quae fiunt in Ecclesia simplici S. Mariae Prati existente intra limites dictae Parochiae.» Cessat tamen haec regula, quoties alia offerentium voluntas patefacta sit, tunc enim oblationes dandae sunt illi Ecclesiae aut loco, cui offerens eas adscribi voluit. Similiter ad Ecclesiam Parochialem non pertinent oblationes, quae alii usui ex consuetudine vel privilegio addictae sunt. Oblationes autem Monasteriis factae Monachis proficiunt, cap. 1 de statu Monac. 3. Denique jurastolae, seu stipes, quae post administrata Sacramenta, praesertim Baptismi et Matrimonii, post exsequias Defunctorum, aliasque sacras functiones tribui solent. Olim hujusmodi stipes erant spontanea largitio, quae deinde in laudabilem consuetudinem abiit, et in Concil. gen. Lateranensi sub. Innocentio III probata est. Siquidem statutum in eo fuit, Sacramenta et reliqua officia sacra gratis administranda, nulla scilicet temporali re aut petita aut recepta *ante administrationem*; fideles vero ad consuetas oblationes teneri, quin etiam ab Episcopo cogi posse si offerre detrectaverunt, cap. 42 de Simonia; et hanc legem extorsit necessitas Parochorum, quibus si molestiae et labores non desunt, alimenta certe interdum deerant. Caeterum omnem turpis lucri suspicionem Parochi vitare debent, nec quidquam a pauperibus recipere, eoque minus exigere.

§ 74.

DE DECIMIS.

Alterum genus reddituum Ecclesiasticorum conficiunt Deci-

mae, de quibus breviter agendum est. Sunt autem Decimae certa pars fructuum, vel lucri. Certa pars, inquam, non decima: nam interdum major est, interdum minor ob diversam locorum consuetudinem. Dicuntur autem pars fructuum aut lucri, quod aut ex fructibus praediorum, aut ex lucro industriae persolvuntur, unde praecipua eorum divisio est in *praediales et personales*.

Itaque praediales ex fructibus et proventibus praediorum debentur, sive praedia urbana sint, sive rustica, cap. 7 de pactis; sed ex praediis urbanis, hoc est aedificiis habitandi causa aut in urbibus, aut extra urbes sitis. Decimae praestandae non sunt, nisi locentur, cit. cap. de pactis, et cap. 23 hoc tit., quia decimae sunt onera fructuum vel industriae; nullus autem fructus ex non locata domo percipitur, quemadmodum ex agris non cultis. Hujusmodi Decimae majores vocantur, si ex frumento, vino, aliisque fructibus majoribus; minores, si ex leguminibus, oleribus, fructibus arborum, aliisque minoribus pendantur. Praeterea ratione praediorum vel sunt veteres, vel novae seu novales, prout praedium jamdiu coli consueverat, aut « de novo ad cultum redactum, de quo non exstat memoria, quod aliquando cultum fuisset » cap 21 de V. S.

Personales ex rebus industria et arte comparatis, veluti ex lucro negotiationis, militiae, venationis debentur, non autem ex rebus titulo lucrativo, ex. gr. donatione, successione, legato acquisitis, quod ista bona non sunt fructus praediorum, vel industriae humanae, nec illa acquirimus, sed nobis acquiri dicuntur.

Hae binae Decimarum species distinguuntur, cap. 20 de Decimis, Primitiis et Oblat. Doctores autem addiderunt tertiam Decimarum speciem, quas *mixtas* appellant, eorum nempe fructuum qui partim industria, partim natura comparantur, veluti ex pecorum foetu, lacte et similibus.

## § 75.

## DE JURE PERCIPIENDI DECIMAS.

Jure communi ecclesiastico Decimarum solutio Christianis omnibus imposita est, quod ex Canonibus Conciliorum, summorum Principum Edictis, et Romanorum Pontificum Constitutionibus perspicuum est. Debentur autem propter curam animarum quam Ecclesia gerit. Ante bonorum ecclesiasticorum divisionem Episcopo solvebantur, qui easdem non secus atque caetera bona ecclesiastica in Clericos aliosque usus ecclesiasticos distribuebat. At successu temporis, et facta praesertim bonorum divisione, Decimae jure communi ad Parochos pertinent, cap. CUM CONTINGAT, et cap. CUM TUA, ubi sermo his verbis absolvitur: « alioquin Parochialibus Ecclesiis exsolvantur ad quas de jure communi spectat Decimarum perceptio. » Ex quo fit ut quanquam nonnulla beneficia aut fundatione, aut dotatione, aut privilegio, aut permutatione, aliove titulo aliquam Decimarum portionem consequuta sint, si tamen dubitatio accidat, num aliqua Decimae ad Paroeciam, an ad aliam Ecclesiam seu Beneficium pertineant, Decimae Parocho solvendae, quod jus Ecclesiae Parochialis ad percipiendas Decimas aperto jure nitatur. Sunt autem hae regulae observandae: 1. Decimae praediales solvendae sunt Paroeciae, intra cujus fines praedia sita sunt, quamvis dominus praedii in alia Paroecia moretur. 2. Decimae personales debentur Paroeciae, in qua Christiani Sacramenta suscipere tenentur. 3. Decimae mixtae debentur Paroeciae, ubi animalia continuo pascuntur, et si per dimidium anni in territorio unius Ecclesiae, et per aliud dimidium in territorio alterius pascantur, Decimae inter utramque Paroeciam dividendae sunt, quod tradit Glossa in cap. 20 de Decimis. 4. Decimae praediales nullis deductis expensis, personales vero et mixtae subductis expensis praestandae sunt: igitur decimae praediales nec

expensis communibus ex. gr. collectis, tributis ratione praediorum impositis, rata commodi, neque aliis extraordinariis onerandae sunt, sed « antequam ullas de praedictis bonis deducatis expensas, decimas Ecclesiis, ad quas pertinent, cum integritate debita persolvatis, » Coelest. III cap. 22 hoc tit. 5. Decimae novalium, cum praediales sint, Ecclesiae Parochiali debentur, « nisi ab his qui alias percipiunt Decimas rationabilis causa ostendatur, per quam appareat Novalium ad eos Decimas pertinere, » quod respondit Pontifex cap. 29 de Decimis. Hujusmodi rationabilis causa videtur esse, si alii decimatori consuetudo peculiaris, aut privilegium Apostolicum, aut aliquis legitimus titulus aperte faveat. 6. Novalia minus proprie dicta, hoc est Decimae ejus praedii, quod non recens excultum, sed tantum ad diversum culturae genus reductum est, eisdem solvendae sunt quibus antea debebantur, quia permutatio qualitatis, seu formae substantiam rei non immutat, nec juri quaesito obesse potest.

Decimae autem jure communi ecclesiastico a Christianis omnibus praestandae sunt, quin imo ad praediales Decimas Judaei quoque obligantur, quod ipsis fundis veluti inhaereant. Ob eandem causam Clerici quoque solvunt Decimas praediales non solum ex praediis patrimonialibus, verum etiam ex praediis Beneficiorum, si praedia cum tali onere ad Ecclesiam pervenerint. Atque haec forte verior, at certe planior interpretatio est cap. 2 de Decimis, cujus verba sunt: « Novum genus exactionis est, ut Clerici a Clericis Decimas exigant, cum nusquam in lege Domini hoc legimus: non enim Levitae Levitis Decimas accepisse leguntur. Illi profecto Clerici, qui a Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, Decimas eis debent. » Quo in capite aliquibus visum est unum idemque simul affirmari et negari. Verum prior propositio ad regulam generalem, altera ad exceptionem regulae commode referri potest, ut nimirum Clericus qua Clericus ex boni Ecclesiae, nisi antea huic oneri obnoxia fuerint, Decimas solvere

non teneatur, Clericus autem qua fidelis de bonis patrimonialibus ad solvendas Decimas obstringatur. Ipsi Monachi et Regulares lege tribuendi Decimas soluti non sunt, « nisi de novalibus suis quae propriis manibus, vel sumptibus excolunt, et de nutrimentis animalium suorum, et de hortis suis » quod sancitum est cap. EX PARTE 10 de Decimis. Caeterum idem Religiosi tam exempti, quam non exempti de terris et possessionibus acquisitis hactenus, et amodo acquirendis Decimas integre solvant illis Ecclesiis, quibus eadem possessiones et terrae prius fuerant decimales, nisi super hoc speciali jure vel privilegio sint muniti, ut expressis verbis decrevit Bonifacius VIII cap. fin. hoc tit. in 6<sup>o</sup>.

Omnium vero Decimarum quarta pars Episcopo tribuenda est cap. CONQUERENTE de offic. Jud. ordin., et cap. QUONIAM de Decimis, eamque exigere potest a Parochis, si decimae solutae sint, a Parochianis autem, si nondum solverint. Hujus vero quartae decimationis non magnus hodie est usus.

## § 76.

## DE IMMUNITATE A SOLVENDIS DECIMIS.

Obligatione solvendi Decimas eximi possumus privilegio Summi Pontificis, praescriptione seu consuetudine, et pactis conventis. In primis itaque immunitatem a solvendis Decimis Pontifex tribuere potest propter supremam ejus in res et jura ecclesiastica potestatem. Et quidem Monachi et Regulares similibus privilegiis aucti sunt. Nemo tamen putet se ab eo onere solutum esse privilegio Summi Principis saecularis. Cum enim « laicis nulla sit de rebus spiritualibus concedendi, vel disponendi facultas, imperialis concessio quantumcumque generaliter fiat, neminem potest a solutione Decimarum eximere » ut ait Innocentius III, cap. 25 de Decimis. Nec etiam Episcopus privilegium hujus generis impertiri potest, cum